

⁷ *Donatio a Walfredo facta Gothofredo
Aquensi Episcopo.*

CMLXVIII.

⁵ **I**n nomine Jesu Christi Dei æterni, imperantibus dominis nostris Ottone, & Ottone filio ejus anno imperii eorum septimo, & secundo, mense augusti, indictione XIII. (1) Dum ego indignus & nimium peccator Walfredo filio bonæ memoriæ quondam & pro anima conjugii meæ hodie in Dei nomine offero Aquensi, ubi Dominus Gothofredus Episcopus (2) residere videtur, integra casa cum suis massariis omnibus, quam habeo in hac civitate Aquensi cum curte, orto omnia in integrum in ipsa sancta Dei Ecclesia a præsentis offero, & trado ad habendum, tenendum, & faciendum exinde a parte ipsius Ecclesiæ sed quod semel a me factum, vel conscriptum, firmum, & stabilitum permaneat a parte ipsius Ecclesiæ, quia tali tenore hanc chartulam offerio-20 nis Gisalbertus Notarius scribere rogavi. Actum Aquis feliciter.

Signum manus

Ego, qui supra Gisalbertus Notarius scriptor complevi, & dedi.

(1) *Hic erratum in indictione. Anno enim nongentesimo sexagesimo octavo in quem incidunt priores imperatorum notæ, currebat indictio XI.*

(2) *In meo catalogo decimus septimus.*

Diploma Ottonis II. Imperatoris Benedicto Episcopo Aquensi anno 978. concessum, ex transcripto ab Autographo descripto an. 1345. jussu Guidonis Episcopi Aquensis a IV. Notariis coram D. Cuniberto Vic. in spir. gen. R. i. X. P. & D. Arnaldi Episcopi Astensis, & Comitis.

⁶ **I**n nomine SS. individue Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Decet, & oportet imperialem excellentiam Ecclesiarum profectibus assidue incumbere eisque deservientibus, divinamque militiam exercentibus misericorditer subvenire, ut & temporalibus augeatur successibus, & gaudiis perfruatur indeficientibus. Notum igitur esse volumus omnium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrarumque præsentium scilicet, & futurorum fidelium intelligentiæ Aquensi Episcopi præfulem nomine Benedictum (1) interventu, ac petitione Teofaniæ (2) nostræ dilectæ conjugis, & consortis imperii nostram adiisse misericordiam, quatenus pro Dei amore nostræque animæ remedio sibi suæque inopiæ subvenientes nostrique genitoris (3), seu aliorum antecessorum nostrorum imperatorum vel regum instituta observantes inconvulsa per nostram imperialem auctoritatem jam dictæ urbis districtiorem intrinsecus, & extrinsecus circumquaque per tria milliaria concedere, donare, confirmare, & cor-60 roborare dignaremur (4). Nos itaque Dei omnipotentis considerantes misericordiam, ejusque inopiæ Episcopi compatientes, suamque supplicationem

benignis auribus exaudientes, jam dicto Episcopo in honorem s. Petri dicato, & ejus præfule Benedicto seu quicumque inibi pro tempore præfidenti juxta nostri bonæ memoriæ genitoris (5), aliorumque nostrorum prædecessorum imperialia decreta quidquid inde nostræ parti pertinuit publice prout juste, & legaliter possumus, concedimus, largimur ipsique venerabili loco, vel cuicumque inibi, pro tempore præfidenti subjugantes confirmamus, & corroboramus, ut per hanc nostræ concessionis, & confirmationis auctoritatem jam dictæ urbis intrinsecus, & per tria milliaria ex omni parte extrinsecus districtio ipsius venerabilis loci, vel præfulis proprio jure subjiciatur dominio. Confirmamus etiam, & corroboramus eidem Benedicto Pontifici suisque successoribus omnes res, & proprietates ipsius Aquensis Pontificatus plebes etiam videlicet Ossimam (6), & aliam sitam in Scamilaria, & tertiam sitam in Veximo (7), aliam etiam plebem in loco qui nominatur Cauro (8), & aliam quæ nominatur Seritello (9) cum terris decimis earumque pertinentiis omnibus, ut tam supradictam districtiorem quam etiam cuncta hæc loca, universasque earum pertinentias jam dictus Benedictus, sui que successores habeant, teneant, atque per hanc nostram auctoritatem firmiter possideant, omni nostra nostrorumque successorum molestatione penitus remota. Præcipientes igitur jubemus, ut nullus Dux Marchio Episcopus comes vicecomes Sculdasio Gastaldus (10), nullaque Regni nostri præpotens, aut parva persona jam dictum Episcopum Benedictum, aut suos successores de jam dicta districtiione a nobis concessa seu de universis rebus, & proprietatibus, jam dicto Episcopo pertinentibus inquietare, molestare, aut disvestire præsumat, sed bene eis per hanc nostram imperialem paginam eandem districtiorem, atque jam dictas plebes, universasque earum pertinentias tranquillo, ac proprietario jure possidere omnium hominum contradictione, & dimi-40 noratione penitus remota. Si quis igitur contra hanc nostræ concessionis, & corroborationis auctoritatem aliquid agere, & jam dictum Episcopum de prefata districtiione inquietare, aut de prætaxatis rebus disvestire tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem cameræ nostræ, & medietatem ipsi venerabili loco, & jam dicto Pontifici, seu cuicumque inibi pro tempore Præfidenti. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur manu propria roborantes ab omnibus observetur manu propria roborantes 50 sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri.

Datum XV. Kalen. mai. ann. Domin. Incarn. DCCCCLXXVIII. Regni vero D. Ottonis Imperatoris Augusti XVIII. Imperii vero ejusdem XI. Indict. VI. actum autem est in corte, quæ dicitur Astesech feliciter. Amen.

Signum D. Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Gerbergus Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi, & Archicapellani notavit.

(1) *In catalogo Ep. Aquens. XVIII.*

(2) *Fuit ista filia Romani Junioris, & Theophaniæ, quæ postea nupsit Nicephoro Phocæ Imperatori*